

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**


**Nicolai Hieronymi Gvndlingii J. C. Ivs Naturæ ac Gentivm**

**Gundling, Nicolaus Hieronymus**

**Halæ Magdebvrgicæ, 1736**

Praefatio Nova.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-208**



## PRÆFATIO NOVA.

**N**onsunt mihi verba facienda copiosius, quare ius naturæ ac gentium de-  
nuo subdiderim prelo. Optant enim  
ad vnum omnes, vt, quæ sunt dicta abscisse,  
dilatentur paulisper, &, quæ mutari in meli-  
us possunt, mutantur, &, quæ connecti ar-  
ctius queunt, connectantur certe. Quod si-  
cuti mihi propositum fuit, vt & ii, qui au-  
ditores mei non sunt, inde aliquid capiant  
vtilitatis; ita feci, ne probatis deessent ex-  
empla, neue, rationibus aliquando silentio  
pressis, dubius redderetur Lector. Etiam  
addidi nonnulla in priori editione omissa.  
Quis enim in tanta rerum copia, inque infi-  
nito problematum ac quæstionum numero  
nihil omittit? quis omnia pro merito ex-  
pendit? quis non indies ipsemet maiori co-  
gnitione beatur? inprimis, si in cathedra  
consistat, & omnibus diebus eius generis re-  
bus occupetur, nec, quæ aliorum luminibus  
patefiunt, posthabet. Si quid temporis mi-  
hi superesset, magnum sane volumen essem  
inde confecturus; posteaquam tot verita-  
tes in vnum sunt tractatæ, atque inter se,  
coassatione forte non inepta, coniunctæ.  
Sed aliud iam ago ac prudentiæ civilis *συστη-  
μα* meditor ac scribo; DIGESTA mea perpeti  
solicitudine continuo; GVNDLINGIANA o-  
puscula nondum dimitto, quod iis sit in au-  
rem

*Praefatio noua.*

rem dictum, qui me otiosi forsitam credunt, simulatque, quod Pandectae cohaerente filo in tabernis comparuere nondum, vehementer coaxant. Expectent parumper, rogo, nec me mihi soli viuere cogitent: qui, praeter spem, sapius ad alia trahor, atque hisce modo negotiis applicor, modo illis aliquandiu adhærescere cogor: ut taceam, quam me stimulet studiosorum numerus, ut me in hanc illamue disciplinam infundam, quam alioquin neglecturus essem tantisper, nisi & eorum obsecundandum desiderii foret, qui eo fine ad nos commeant, ut, tanquam ex mercatu varias merces domum reportent. Hæc moræ causa est, quam aliorum negotiorum moles gignit, non autem ignauia creat: sed quæ ab humeris, quoad fieri potest, meis remouebo, ut musarum commercio minus impeditæ frui & vacare quieti liceat atque tandem aliquando mecum tantum & cum libellis meis detur loqui. Faxit hoc Deus immortalis, viresque suggerat, ut a summo lucis ortu ad solem occidentem usque voluntatis quadam perpetuitate laborare queam sicque ad implenda promissa idoneus reddar; ne mihi ogganniant insperiti, quid agis? ecur non stas promissis? cum tamen nemo sibi ipsi obligationem soleat imponere. Halæ Magdeburgicæ ipsiis Kalendis Aprilis c1o Idoc xxviii.

CAP. I.